



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corona Avrea Svper Mithram Romani Pontificis

Raynaud, Théophile

Romae, 1647

Punctum VI. Adiunctio noui capitis ex Anonymi capite, nullibi in Scriptura
comparet, imò omnino contrarium.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10481

PUNCTVM VI.

*Adiunctio noui capituli ex Anonymi capite, nullibi in
Scriptura comparat, imò omnino contrarium.*

SAPIENTER Athenagoras ^a, in di-
scutiendis difficultatibus controuersis,
duplicem ait adhibendam esse oratio-
nem: vnā pro veritate, alteram quæ
de veritate disceptet; vnā inquam
quæ stabiliat veritatem, alteram quæ
extricet quæcumque aduersus veritatem intentantur.
In discussione difficultatis de nouo Ecclesiæ capite, ha-
ctenus ferè adhibuimus orationem pro veritate, mon-
strantes quid verè statuendum de monstrositate recens
inducta in corpus Ecclesiæ. Nunc depellenda sunt, quæ
aduersus veritatem producta sunt ab interfessore veri-
tatis: liceat enim Tertulliani ^b vocem retinere, agendo
de homine, qui hoc tentat spiritui eripere, quod est cor-
pori anima iuxta Anastasium ^c; orthodoxiam inquam,
quæ vnus præsertim Ecclesiæ capitis assertione conti-
netur. Quanquàm hanc ipsam extricationem nodorum
aduersus receptum Ecclesiæ sensum, ita instituiam, vt ad-
iunctam semper habeat nouam veritatis confirmatio-
nem. Vt autem solidè & cum debito ordine hoc nego-
tium obeam, quia eius discussio pendet ex declaratione
voluntatis Christi, è qua pendet constitutio, aut adiun-
ctio noui capituli: nec de Christi voluntate constare po-
test, nisi ex verbo scripto, aut tradito, quorum hoc, te-
stificatione Pontificum, Conciliorumque ac SS. Patrum
cõtinetur, à quibus per manus ad posteros permanauit,
quod ab initio, à Christo Ecclesiæ fundatore est consti-
tutum: proptereà videndum erit, quid faber noui dog-
matis

^a lib. de resur-
rect. initio.

^b lib. de Car-
ne Christi.

^c cap. 1.
§ d. 176.

L matis

matris ex illis locis argumentorum in hanc pro se alleget, initio facto à scriptura, quod breuius expediri possit, & in hac re minus cauillis pateat.

^a in Ps. 67. Co-
lis. de. cibus.
cap. 14.

^b in suo.

^c cap. 35. com-
mon.
d. lib. 9. par. 1.
cap. 1.

^e lib. 2. penta.
cap. 7.

^f cap. 34.

2. Aggrediēti porrò ad scripturas, pro nouitate quam exagitamus allegatas, necessaria nequaquam videtur præmunitio lectoris, apud Patres frequens, consuetudinem errorum semper ferre, vt scripturam prætexant: vt propterea S. Augustinus ^a has esse dicat feras arundinis, aut vt ipse legit, *bestias calami*: quia latibulum semper captant in aliqua scriptura: de quo exostulat grauitè S. Hilarius scribens ad Constantium ^b, & omnino concinnè Vincentius Lyrinensis ^c; præter alios quos signat copiosè Michael Medina ^d. Hæc in cuiusuis profana nouitatis inuectione, vsu recepta prætereo. Tantùm de Aduersario, cardinalem veritatem catholicam, de vnicò Ecclesiæ capite, ex paucis scripturis malè obtortis euertere sollicito, obiter dico; quod S. Cyrillus ^e ait de Aduersario suo, scripturis abutente ad falsiloquium confirmandum. Nimirum oportuisse illum non obliuisci diuinæ per Ezechielem ^f exostulationis. [Præclara pascua depascebamini, & aquam consistentem bibebatis, & reliquam turbabatis pedibus vestris, & oues meæ concalcata pedibus vestris depascebantur, & turbatam aquam pedibus vestris bibebant. Nos diuinitus inspiratis literis animū adijcentes, præclara pascua depascimur, vt scriptum est, aquam etiam consistentem bibimus, hoc est sermonem spiritus, minimè mendacio mixtum & perspicuum, & purissimum. Vbi verò veluti ingratas quasdam nostrarum cogitationum faeces in eo sermone miscemus, eumque confundimus, Saluatoris nostri gregibus insidiamur.] Hoc ab Aduersario suo factum, affirmat S. Cyrillus: quod ego ad eum quoque cum quo ago, meritò transferam, vt ex ijs quæ subijciam manifestum erit.

3 Ex antiquo Testamento, vrget Aduersarius exemplum Moyfi, & Aaronis, quos ait simul fuisse duos summos Synagogæ Pontifices. Et de Aarone quidem, non est dubium fuisse Pontificem: de Moyse autem idem habet Nazianzenus ^a, & Augustinus ^b, & Petrus Cellensis, alijque annotati in Pontificio Onomastico V. *Moyfes auctoritate*, & in Epilogomenis ^c. Videturque idem tradere Dauid psal. 98. cum ait, *Moyfes & Aaron in Sacerdotibus eius*, ad quem locum, plerique Interpretum multa habent in hanc sententiam, & nominatim Lorinus, nec non alij Interpretes Matth. 23. vbi Pontificatus antiquus vocatur *cathedra Moyfi*. Fusè præterea Gretserus ^d, & quotquot strinxerunt calamos in M. Antonium de Dominis, qui hoc binorum Synagogæ Pontificum exemplo abusus est, ad omnes Antistites Summo Pontifici cœquandos, eo quod omnes succedant Aaroni, quem summum Sacerdotem fuisse, nemo in dubium reuocat.

^a orat. 6.
^b in psal. 98.

^c subnot. 2. v. 2.
^d tit. 3.

^d in defens. libri 3. de verba Dei cap. 4.

4 Reuera tamen, nihil hic siue Anonymo cum quo agimus, siue Antonio de Dominis, feritur, aut metitur. Supponunt enim, Moysem, & Aaronem fuisse ex æquo Pontifices, quod falsum est. Nam Moyses, etiam si fuit Pontifex extra Ordinem, ad initiandum Aaronem, & plantandam Pontificiam Cathedram legis scriptæ, idcirco denominatam *cathedram Moyfi*; extra eam tamen functionem, non egit Pontificem, aut Sacerdotem, sed ducem politicum populi Dei. Itaque nunquam fuerunt simul Pontifices Moyses & Aaron. Nam cum Moyses suum illum extraordinarium Pontificatum obiuit, consecrando Aaronem, iste nondum erat Pontifex in factio esse, vt sic dicam. Ex quo autem functus est eo consecrationis munere, & Aaron Pontificatum iniuit, Moyses desijt esse Pontifex, nec vltra se ingessit in ijs. quæ ad Deum erant, sed hoc totum Aaroni ad id diuinitus delecto permisit; idque populo explicantem Moysem Iose-

23. antiq. cap.
10.

phus^a exhibet. Quod autem Moyses & Aaron dicantur fuisse *in Sacerdotibus eius*, non est sensus, ambos simul sanctos esse Sacerdotio. Illud enim *in Sacerdotibus*, ad solum Aaronem pertinet; ita ut cum memorentur ibi tres insignes numinis cultores. Moyses, Aaron, & Samuel; Aaroni tribuatur, quod fuerit *in Sacerdotibus*, id est iuxta phrasim Hebraeam, summus Sacerdos, vel Pontifex, & Sacerdotum princeps. Quæ est interpretatio Anacleti Papæ^b. Itaque vniuersa substructio Aduersarij ex simultaneo Aaronis & Moysis Pontificatu, inferentis simultaneum SS. Petri & Pauli Pontificatum, tanquam rem in ea figura adumbratam, per se concidit.

epist. 3. c. 30.

2. Cor. 11.

5 Adducit præterea Aduersarius, ex nouo Testamento, illud Apostoli^c moles curarum quibus opprimebatur recensentis, *Instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum*. Si enim S. Paulus, grauatus est omnium Ecclesiarum sollicitudine; igitur fuit Pontifex vniuersalis, & caput totius Ecclesiæ. Cumq. S. Petrus concreditam sibi quoque omnium Ecclesiarum sollicitudinem habuerit illo ipso tempore, sequitur fuisse simul duo Ecclesiæ capita visibilia, & duos Summos Pontifices. Sane Ioannes Sarisberienfis^d, sollicitudinem omnium Ecclesiarum, allegato hoc Pauli loco, vocat *priuilegium Apostolicum* transiens ad successores Romanos Pontifices, quorum inde eruit miserabilem sortem.

28. polyer. cap.
37.

epist. 59.

6 Nihil facilius, quam hanc difficultatem elidere ex doctrina S. Augustini^e, atque Hieronymi. Ille tractans sextam S. Paulini questionem, obseruat; [Scripturæ morem esse, ita loqui de parte tanquam de toto: sicut Corinthios in primis Epistolæ suæ partibus ita laudat Apostolus, tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum: & postea in nonnullis Epistolæ ipsius locis, ita reprehendit, tanquam omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erant. Istam diuinarum Scri-
ptura-

pturarum consuetudinem, per omne corpus literarum eius, creberimè sparsam, quisquis diligenter aduerterit, multa dissoluit.] Plenius etiam S. Hieronymus ^a, ex- ^{a in cap. 1. ad Ephes. sub finè.} pendens illud, *Omnia subiecit sub pedibus eius*. Vbi inter cœtera obseruat, plerumque in scripturis, nomine *omnium*, non designari vniuersitatem, sed ea tantum de quibus disputatum est. Aliàs verò designari tantum bonam partem summæ totius, vt cum dicitur, *omnis ciuitas conclamauit*. Non quod aliquis in vrbe tacens non fuerit, sed ex parte maxima, etiam ea, quæ minora sunt, appellantur. Et ipse Apostolus ait ^b, se commonere om- ^{b Coloss. 3.} nem hominem; non quod omnem hominem docuerit, (quanti enim sunt, qui vsque hodie nec doctrinam Apostoli audire, nec nomen?) sed quod eos omnes doceret & admoneret, qui aderant, aut ad quos adierat.

Ex hac igitur loquendi formula, ait Apostolus, se premi omnium Ecclesiarum sollicitudine; non quidem omnium absolutè; quia earum quas alij Apostoli plantarunt, præsertim procul distitarum, procuratione non vrgebatur; sed omnium illarum Ecclesiarum quas ipse crexerat; vel quæ in vicinia erant, & ad quas excurrerat. Præterquam quod si eum animo ac studio iuuandi complexum esse vniuersum Orbem dixerimus, nihil dicemus æstuosissimo eius zelo non congruum. Ea sanè ex causa S. Chrysostomus ^c agens de corde S. Pauli, vocat, cor ^{c homil. 32. in ad Rom.} totius Orbis. Nihil tamen ista ad totius Orbis Pontificatum S. Paulo vendicandum; cum tantum ferant ardentem eius zelum de totius Orbis conuersione, & Ecclesiarum vbique plantatione; qualem zelum nihil necesse est cum vniuersalis capitis dignitate coniungi.

7 Allegat denique Aduersarius ex scriptura, illud Pauli de se ipso ^d; *qui operatus est Petro in Apostolatum,* ^{d Gal. 2.} *operatus est & mihi inter gentes*. Ex quo loco infert noui dogmatis faber, S. Paulum non minus fuisse Ecclesie præfectum

fectum vniuersalem, quàm S. Petrum. Quin etiam non semel S. Paulus profiteretur se esse gentium Apostolum, Petrum verò circumcisionis. Ex quo infert Aduersarius, S. Paulum fuisse Episcopum Romanum particularem, Roma quippè erat gentium Metropolis. Et indidem colligit, quantum doctrina quam proponit conferat Romanæ Ecclesiæ, cuius Episcopus succedendo SS. Petro, & Paulo, in se connectit totius Orbis Pontificatum; & Iudæis ob S. Petrum, & gentibus ob S. Paulum, iurisdictioni suæ obnoxijis.

8 Hæc argumentatio non modò est telum imbelles sine ictu, sed etiam multipliciter Aduersario incommodat; & eius vel imperitiam, vel malignitatem aperit. Nobis quidem non officit hoc argumentum: quia etiam si denrus S. Paulū à Deo accepisse peculiare munus prædicandi gentibus, quæ tamen ea consecutio est. Igitur Paulus est par Petro, in ratione capitis totius Ecclesiæ. Quod verò Paulus ad Galatas scribens^a tradat, gentes sibi peculiariter commendatas, & Petro circumcisionem, non est ita accipiendum, quasi cura gentium, etiam quoad immediatam & personalem Euangelij disseminationem, ad Paulum duntaxat pertinuerit, excluso Petro. Manifestè enim Lucas affirmat^b, Petrum ex obiecto viso linteï immunda animalia ab eo manducanda continentis, percepisse Dei consilium esse, vt gentes ad Ecclesiam aggregaret: Vnde testatur^c se à Deo electum, vt interuentu prædicationis ipsius, gentes Euangelio crederent. Vicissim autem S. Paulus non gentibus tantum, sed etiam Iudæis euangelizauit. Habet hoc disertè Lucas^d. *Ingressus (inquit) in Synagogas predicabat IESVM, affirmans quoniam hic est Christus, & consundeat Iudeos.* Rectè igitur Turrecremata^e, agnoscit & Paulum Iudæis, & Petrum gentibus euangelizare potuisse. Ipse frons Epistolæ primæ Catholicæ B. Petri, demon-

^a cap. 2.

^b Act. 10.

^c Act. 13.

^d Act. 3. & 9. & 15.

^e lib. 2. summa de Eccl. c. 13.

monstrat quot gentium populis S. Petrus Euangelium intulisset. Idcirco tamen condixerunt aliquando hi Beati Apostoli, vt Paulus peculiariter gentibus operam daret, Petrus verò Iudæis; quod Paulus implacabilibus flagraret Iudæorum odijs: ideoque minus aptus esset ad Euangelium apud eos cum fructu ponendum. Quo fructuosa euāgelicæ prædicationis obstaculo carebat apud gentes, quibus non erat exosus. Atque ita S. Petrus, quia Iudæi non erant illi adeò infensi, ac Paulo, quem præuaricatum credebant, fructuosius Iudæos poterat excolere: præterquam quod potior videbatur eorum conditio, quia ex ipsis gloria, ex ipsis testamentum, & radix bonorum omnium. Quamobrem, Petro tanquam omnium primo, peculiaris eorum cura maximè congruebat.

9. Coeterū excludere S. Petrum iure prædicandi gentibus, & negare præfecturam Ecclesiæ eidem à Christo commissam, fuisse extensam ad gentes, est manifesta hæresis: quia derogat amplissimæ, & vniuersalissimæ rectioni cuius, S. Petro concreditæ. Vnde gloria Romanæ Ecclesiæ, ex successione ad vtrumque Apostolum, quasi inde habeat potestatem in vtrumque populum, caritura potestate erga gentes, si Petrus solus fuisset eius Episcopus peculiaris: tantoperè desipit, vt quantocumque ingesto sale nequeat condiri, & prohiberi insulitate. Inde certè haberetur, S. Petrum non fuisse Episcopum Romanum. Quandoquidem Roma erat gentium Metropolis, nisi Episcopatum eius Romanum arctatum velimus Transyberina vrbis parte, quam Iudæi iam tunc incolebant, vt ex Philone^a, & Martiali^b habetur: sed de hac fatuitate rursus infra.

^a de legat. ad.
Capum.
^b l. 1. epigr. 48.
Ep. 4. epigr. 93.

10. Æstimet æquus Lector, scripturas quas Aduersarius pro bicipiti Ecclesiæ adducit, S. Paulum in alterum caput Ecclesiæ prouehendo; easque componat cum locis Scripturæ quibus S. Petrus Pastor cuius absolutè ag-

sim-

simpliciter, proindeque solus Pastor & Rector Ecclesie
statuitur: nec licebit ambigere, quàm vana sit noua hæc
imaginatio de duplici Ecclesie capite. Disertè & rotun-
dè Scriptura testatur, S. Petro dictum à Christo, *pascere*
oues meas. Et *tu es Petrus, & super hanc petram edificabo*
Ecclesiam meam. Quotquot ergo sunt Christi populus,
& oues pascuæ eius, ad rectionem Petri spectant, eique
sunt obnoxij, etiam si sint supra modum Apostoli. Item
quotquot pertinent ad structuram domus Dei, suntque
lapides viui Christo coædificati, necesse est vt supra Pe-
tri fundamentum construantur, neque D. Paulo neque
alijs Apostolis exclusis ab ea verborum illimitatione, &
indefinitate vniuersitati æquiualente. [Nam in Petro
vno, Christus firmat Ecclesiam] ait D. Augustinus ^a; &
iuxta Pacianum ^b. [Et ad Petrum locutus est Dominus,
vt vnitatem fundaret ex vno.] Et eodem pertinet, quod
Nazianzenus ^c ait, S. Petro commissa esse ipsa fidei fun-
damenta; Apostolos inquam, quibus tanquam funda-
mentis huic primario secundum Christum fundamen-
to nixis, superædificamur; iuxta Apostolum: [Vides in-
quit Nazianzenus) quemadmodum ex Christi discipu-
lis, magnis utique omnibus & excelsis, atque electione
dignis, hic *petra* vocetur, atque *Ecclesie fundamenta*, in
fidem suam accipiat?] Id quod negat alios Apostolos
ægrè tulisse, eo quod essent ordinis amantes, & Christi
dispositioni acquiescerent.

II Gratis igitur ac prorsus absurdè, contra ea illimi-
tata Christi verba, quibus Petrus ouium quoque agnos-
parentium pastor, & fundamentorum creatorum fun-
damentum, est renunciatus, inuehitur limitatio pro San-
cto Paulo; ita vt ipse quoque sit pastor ouium, & funda-
mentum fundamentorum. Quidni verò idem æquè com-
minisci liceat pro S. Andrea? [Qui primus est in Aposto-
lorum coronam vocatus, qui quasi columna primùm
affi-

^a serm. 49. de
verb. Dom.
^b epistola ad
Symp.

^c orat. 36.

affixus est in Ecclesia, & ante Petrum Petrus, fundamen-
 tique fundamentum; qui primitiarum fuit principium;
 qui antequam vocaretur, alios vocat ad Dominum; qui-
 que ante consignat, quam consignaretur; qui antequam
 adducatur adducit.] Verba sunt Hefychij de S. Andrea. ^{a homil. de eo.}
 Nec parcius de eo S. Athanasius cum ait. [Andreas Apo-
 stolorum prima plantatio. Hic Christi disciplinae portas
 aperuit; Hic propheticae agriculturae fructus primus vin-
 demiauit, speique dono praestans coeteris, primus eum
 quem omnes expectabant amplectitur: primus veteris
 instituti praecpta, constituto terminari tempore com-
 probauit, primus Moysis linguam cohibuit, aegre ferens,
 post Christum, eum iam amplius loqui.] Quidni verò
 etiam liceat, si semel pro S. Paulo inuehatur verborum
 Christi limitatio, eandem apponere pro S. Iacobo Hiero-
 solymorum primo Episcopo, quem idcirco Clemens I. ^{b in epist. ad Iacob.}
 vocat *Episcoporum Episcopum*; Hefychius verò apud Pho-
 tium ^{c Cod. 279.}, vocat *caput & verticem Apostolorum*?

12 De Ioanne item Euangelista, magno in speciem
 iure, erit qui statuat, eum quoque esse caput Ecclesiae
 vniuersalis, & Petri iurisdictioni subdici: quia eum IESVS
 dilexit plurimum, & vt S. Zeno <sup>d serm. de Fi-
do. Sps. etc.</sup> dixit, fuit pecu-
 liaris arcanorum Domini consultor. Qui iuxta Nyssen-
 num <sup>e homil. 1. in
Cane.</sup>. [Verbi amauit vbera, qui supra pectus Domini
 in coena recubuit, & veluti quamdam spongiam cor-
 sum apposuit fonti vitae, & ex ineffabili quadam tradi-
 tione repletus Christi mysterijs, nobis quoque exhibet
 mammillam à verbo impletam, nosque implet bonis,
 quae ei à fonte sunt indita, magna voce praedicans, quod
 semper est verbum.] Alter verò Gregorius <sup>f in l. Sacram.
pref. ad festu
S. Iohannis.</sup>, longum
 eidem Ioanni contexit panegyricum: & praeter coete-
 ra ait, eum in regno caelorum, quod est Ecclesia, ade-
 ptum esse sedem Apostolici culminis, & immensa gra-
 tiae muneribus à Christo esse approbatum, ac filium Vi-

carium matri subrogatum; Superque ipsum vitæ fontem æternum, placide recumbentem, perenniter manantia cœlestis hausisse fluenta doctrinæ; tamque profundis ac mysticis reuelationibus esse imbutum, vt omnem transgrediens creaturam, excelsa mente conspexerit, & Evangelica voce protulerit, quod in principio erat verbum.] Hunc quidam Petri præfecturæ subductum velimus, & æquali cum eo capitis dignitate exornatum, si institutionem Christi, quæ solius Petri meminit, extensam ad alium quempiam velimus?

Quinetiam politici quibus apex Reipublicæ secularis est pro numine, facile adducerentur, vt Christi de Petro verba, valere velint pro solo vulgò fidelium: non tamen extendi ad capita populorū, & eas potestates quas Apostolus vocauit *sublimiores*, iubens omnem animam eis subditam esse: atque adeò videbuntur omni creata iurisdictione exolui, & esse ipsa quoque capita Ecclesiæ, quo nomine Pipinum insigniuit Stephanus Papa. Nemo non videt hæc omnia esse auersanda Catholicis.

13 Et tamen si semel liceat limitare pro libito Christi Oraculum, & aliud caput ei quod ipse posuit appingere, aperietur via ad propositas extensiones, cum Christi institutione pugnantes. Ea quippè institutione, S. Petrus absolutè & simpliciter, atque adeò solus, est constitutus pastor & rector fidelium omnium. Sicut cum Rex diploma præfecturæ concedit alicui absolutè & simpliciter, censetur eum solum præficere, etiam si in actu signato non explicet, se huic soli manus illud & potestatem super alios committere. Similiterque cum ex reuelatione habeamus dari tres personas diuinas; eo ipso, quod non est expressa alia, credimus non dari plures, etiam si in actu signato non sit additum, tres tantum & non plures esse diuinæ Triadis personas; aut has solas tres personas esse diuinas. Ex reuelantis quippè Christi
men-

mente, propositio cortice tenuis indefinita, est vniuersalis, & excludit alia omnia subiecta. Exemplum item optimum est, quod suppeditat septenarius Sacramentorum nouæ legis, quem fide certum est, esse plenum, & adæquatum eorum numerum, vt insinuatum est in Concilio Florentino, & expressum in Tridentino *. Quamuis enim Scriptura & traditio, tantum ferant, Christum instituisse septem vulgata Sacramenta, nec addant in actu signato, ea sola instituisse; tamen Concilia prædicta, ita intellexerunt scripturam & traditionem in quibus septenarius vulgatus Sacramentorum asseritur, alius autem tacetur, vt non sint instituta à Christo plura quam septem Sacramenta, quamuis id nusquam in actu signato sit expressum in verbo Dei, siue scripto, siue tradito. Notauit hoc optime Suares ^b, qui idem obseruat in alijs fidei dogmatibus: & pro generali regula statuit, in numero definito mysteriorum fidei, intelligi exclusum maiorem numerum: quia ita necessarium est, vt sincera veritas mysteriorum tradatur. Quemadmodum cum affirmatur, Verbum esse incarnatum, intelligitur, neque Patrem, neque Spiritum sanctum agglutinatos esse luto nostro, etiam si id non sit expressum in actu signato: quia censetur negari Incarnatio aliarum personarum, eo ipso quod nunquam est expressa, sed tantum Incarnatio Filij. Similiter ergo, quia S. Petrus absolute & simpliciter expressus est pro Ecclesiæ Pastore, & Petra super quam ædificatur Ecclesia, id est pro Ecclesiæ capite, solus Petrus ea dignitate censendus est honestatus.

14. Præ his scripturis pro solius S. Petri vniuersali primatu, tam liquidis, tamque manifestis, si contentio earum fiat cum scripturis per Aduersarios propositis pro S. Pauli primatu, apparebit has esse lumina cicindelarum præ Sole; imò tenebras cimmerias, atque palpabiles præ luce meridiana. Sed perpetuus est Erronum vsus,

M 2 vt

^a sess. 7. cano.
1. de SACRAM.
in genere.

^b 3. pag. 65.
ad vs. 1.

*a. hamil. de Se-
aph.
b. Item. lib. 2.
cap. 28.
c. lib. 2. c. 40.*

*d. lib. de anim.
c. 34. & lib. de
pud. cap. 8.
e. lib. de pass.
sub fin.*

vt scripturarum centunculis parum, vel nihil ad rem fa-
cientibus, veluti campēstribus, ac perizomatis obtegen-
tes profanarum nouitatum turpitudinem, auratas ge-
nuinorum locorum cycladas, abijciant; & peplo, sta-
mini, subtegmini aureo, araneorum telas (vt Chryso-
stomus^a queritur) anteponant. Apud Irenæum^b, abie-
ctis locis ipsius Solis radio conscriptis, totum fundamen-
tum falsarum insaniarū absque numero, erat illud Chri-
sti *querite & inuenietis*. Vel numeri, & literæ nominum.
Alij parabolas ineptè detortas, pro magnarum nugarum
fundamento habebant^d, vt est apud Tertullianum^e.
Expostulat S. Augustinus & iure expostulat, Donatistas,
Ecclesiam ex tot clarissimis scripturis toto Orbe diffu-
sam, arctasse ad Africam, nixos ei loco Canticorum. *In-
dica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie*. Et cum essent
ad manum insignia loca oculos effodientia, pro Eccle-
siæ Catholicismo, omnibus illis abiectis, hærebant in ea
inutili, nec ad illud institutum quicquam faciente me-
ridiatione. Quod item Anabaptistæ eiusdem æui fece-
runt, nixi eo loco aduersus peccati reciduum vrgendo;
ad anabaptisum autem ob malum statum baptizans
ridiculè detorto; *qui baptizatur à mortuo, & iterum
tangit eum, quid proficit lauatio eius?* Haud aliter Aduer-
sarij, in præsentia, misellorum quorundam locorum
aliud omnino ferentium allegatione, pro S. Pauli prima-
tu contenti; nolunt ad perspicua & expressa loca con-
trarium planè ferentia, adijcere oculos.

